Delbrück f. d. Morgensterno.

Libro tuo, quem ad me misisti Vir amicissime perlecto, co-
pia et elegantia, qua in eo scribendo usus es ita capie-
bar, ut [illegible] [illegible] quondam correptus consilium
inirem, ad has ~~litteras~~ literas latino [illegible] potius quam
vernaculo adhibendo. Veniam mihi des quaeso, quod
cum dissertatione tua doctissime et suavissime scripta
animum et aures summopere delectasti, equidem
tibi gratias ago horrendo illo et inconditio loquendi
genere utens, quod merces in domo in ~~quam~~ habito
accumulatas olet. In his enim terris nil magis
homines curant quam quod loculos assibus complet
utique contemnentes artes liberales in quibus
quamdiu tecum essem operam et tempus consumsi.
quamquam (ne id taceam) Meyerus meus inter eru-
ditos hujus urbis negotiatores principem locum
tenet. Museum ejus continet praestantissima recentio-
rum scriptorum opera, et picturarum selectarum

76 38v

optimam collectionem. Ipse est vir qui longis et multis
itineribus multorum hominum urbes conspexit
et mores cognovit, neque germanice, francogallice
et anglice loquendi facultatem mediocriter exercuit.
Adhuc (ut redeam unde orsus sum) dulcis otii
inopia impediebar quo minus commentariis tuis
pertractandis tantum studium darem quantum
illis debetur. Gratulor tibi quod virorum lau-
datissimorum laudes non solum reportasti
(id enim indignis quoque saepe ~~eve~~ contingit)
sed etiam meruisti. Cur Wielando obsequi nolles
libro tuo germanice interpretando non intelli-
gebam. Num tu putas, nostratum non interesse
te tot tantisque ingenii Germanici decoribus
tui quoque monumentum adjicere?
Quod ad me: non satis bene valebam, animo
hilaritas, corpori vigor deerat. Intemperies
enim me in cubiculo tenet, neque agri suburbani

quo per aestatem morari soleo, amoenitatibus frui
sinit. Ad aegritudinem animi levandam legi duos
praeclarissimos libros, alterum Sheridanii angli,
quem scripsit de vita nobilis Swiftii ~~ne~~ (~~Germ~~ in germanicam
linguam vertit illum librum filia Knigii Bremensis)
summa cum admiratione inde intellexi ~~cognovi~~, Swiftium
quem non nisi satyricum scriptorem cognoveram,
etiam rebus publicis gerendis felicissimo eventu
operam ~~de~~ dedisse. Falkius noster alteram gloriae
partem, quam Swiftius republica administranda
tulit ei concedat necesse est, alteram ut ~~[illegible]~~
participet fore spero. Recte dicis me Falkii carmine
de stultitia humana ~~ne~~ vehementer delectatum
esse, et ceteris, in quibus pangendis nunc versatur, im
patientissime exspectare.
Alter liber, quem mihi dulcis solatii fontem fuisse
dixi est Gibbonii disputatio de litteratura anti-
qua ab Eschenburgio germanice versa. Quamquam
Gibbonius cum scriberet hunc librum, non amplius
quam circiter viginti annos peregisset, tamen

tanta in eo doctrina ~~et~~ copia et varietas sunt,
ut cum alternis libri istius paginas inspicias
modo non nisi veteres modo non nisi recentiores
legisse tibi videatur. Apparent quoque in hoc
libro semina et quasi capituli divini istius
ingenii, quo scripsit historiam Romanorum.
Accepi ante hos duos menses ~~literas~~ ab a Niemeyero
nostro et uxore ejus literas, quas tamquam
praestantissimi viri et dulcissimae feminae
erga me benevolentiae documentum exosculari
soleo. Si te minus diligerem mi Morgensterni
inviderem tibi familiaritatem, qua uteris
cum domo Niemeyeriana. Quoties enim ~~mei~~
meum recordor, ad quas tandem homines
tamquam ad exemplaria vitae recte actae
inspiciam acquiesco Niemeyero ejusque uxori.
Nondum enim quemquam inveni, qui ~~me~~
quaecunque ad bene beateque vivendum
pertineant, aptius inter se conjuncta teneat

Quod ad te humanissime Morgensterni mihique amicissime
in literis tuis tristitia quaedam apparet unde orta,
quod tibi ipso non sit satisfacere. Animi morbum illum
quo ego quoque saepe tentor, mihi sanavit
fabulam quaedam, in quam cum ephemerides
anglicas ab Addisonio scriptas nuper pervolverem, incidi.
Fabula hoc est: Undae guttam scriptor narrat
cum de coelo in mare delaberetur secum dixisse
se: quam sum parva et paene nihili comparata
tam vasto et immenso oceano, loquentem a concha
testas aperiente intus receptam esse; quo cum
per aliquantum temporis latuisset, margaritam
inde confectam ~~esse~~ esse, quae ~~cum~~ post multos et
varios casus regi Persiae venditam ~~vendenetur~~, regium diadema
splendidissime ornaret.

Valeas mi Morgensterni
meque diligere pergas.

Scripsi Hamburgi
die tertio ant Cal: Aug: 1795.

[illegible]

P.S. Dissertatiunculam meam de Samaritanis prelo subjectam mittam tibi simulac edita sit. Horis subsecivis, quibus gravioribus rebus vacas, lege eam autem dulcissime amice, mihique quid sit tuum judicium scribas.

Vale Vale.

Commendes me quaeso Samaritano nostro. Oblitus sum ejus mentionem facere in literis ad Falkium scriptis quas tu patri ex mittes. Fratri meo et Niemeyero ~~hu~~ ante aliquot dies literas misi, itaque nihil ~~[illegible]~~ habeo quod iis dicam.